

*excommunicati, et communicantis.* — Prima itaque causa per ly *utile* donata est utilitas tam temporalis, tum spiritualis tam excommunicati, quam communicantis, sic enim propter utilitatem spiritualem excommunicati licet eum verbis, et facto exhortari ad ejus conversionem, et resipiscentiam, atque cum illo conversari de illis, quæ pertinent ad absolutionem, textu expresso, c. *Cum voluntate*, 54, prin. h. t. et propter utilitatem communicantis licet ab eo debitum exigere, c. *Si vere*, 34, h. t. eumque convenire in judicio, c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*; vel ab eodem medico, avvocato, aut alias experto medicinam, vel consilium petere, quando non adest alius, qui æque utiliter consulere potest, Laym., lib. I, tr. III, p. 2, c. 2, n. 16. Bonac., ubi supra q. 2, punct. 6, § a n. 9. Sylvester, §. *Excommunicatio*, n. 4. Avila, de *Censuris*, disp. 11, n. 2.

152. II. *Lex matrimonii, vi cujus uxor cum viro excommunicato, et hic cum ea omnem habere potest communionem, uti prius.* — Secunda causa per ly *lex* indicata est lex matrimonii, vi cujus potest uxor cum viro excommunicato denunciato communicationem habere uti prius quoad thorum, et cohabitationem in exigendo et reddendo debito, in colloquiis familiaribus, in mensa, in gubernatione domus, cit. c. *Quoniam multos*, 103, cau. 11, q. 3, juncto c. *Inter alia*, 21, h. t. quod idem licet excommunicato marito respectu uxoris, arg. c. *Inter alia*, ubi socio excommunicato licita est communicatio cum socio, quam prius habebat in contractu societatis. Accedit: tum quia in correlativis dispositum de uno, censetur dispositum de altero, ubi eadem de utroque est ratio, uti ad præsens, ubi animæ periculum, et utilitas domestica, ob quod uxori permissa est communicatio, in marito æque procedit, ac in uxore, Layman, loc. cit. Navarrus, c. 27, n. 27. Sylvester, ubi supra cum communi.

153. III. *Est subjectio, vi cujus liberi cum parentibus excommunicatis, et subditi cum superioribus, ac reciproce communicare valent.* — Tertio causa per ly *humile* intimata est subjectio, ratione cujus liberi cum parentibus excommunicatis, servi et subditi cum dominis, vel superioribus suis, milites cum ducibus belli communicare non prohibentur, arg. cit. can. *Quoniam multos*, cau. 11, q. 3. Sicut e contra excommunicati parentes, domini, superiores cum liberis, etc.,

communicare possunt; cum ratio, ob quam his conceditur communicatio, evitatio videlicet periculi animarum, etiam in his militet. Doctores num. præc. citati.

154. IV. *Est ignorantia tam juris, quam facti.* — Quarta causa per ly *res ignorata*, indigitata est ignorantia tam juris quam facti, qua quis vel ignorat, aliquem esse excommunicatum: vel id scit quidem, ignorat tamen, eum propterea esse vitandum, dummodo ignorantia crassa non sit, c. fin. de *Constit.* in 6. Layman, loc. cit. n. 16, §. Quarto. Pirhing, h. t. n. 118.

155. V. *Est necessitas tam excommunicati, quam communicantis.* — Quinta causa per ly *Necesse* indicata, est necessitas quæcunque notabilis, sive se teneat ex parte excommunicati vitandi, sive ex parte communicantis, vel alterius, sicque necessitas animæ vel corporis, vel famæ, vel fortunæ; idque sive necessitas proveniat ex violentia, vel metu gravi injuste incusso, sive aliunde ex defectu subditorum vitæ, victus, vestitus, medicinæ, consilii, auxilii necessarii, etc., can. *Quinam*, 103, c. *Inter alia*, 1, et c. *Si vere*, 34, h. t. Laym., loc. cit. n. 10, §. Ultimo, Suarez, de *Censur.*, disp. 15, sect. 3, n. 8. Hinc potest ab excommunicato eleemosyna peti et accipi, quando quis indiget; potest etiam cum illo communicari in loco, ubi adhuc est bonæ famæ, si alioquin foret infamandus; potest insuper ab eo aliquod peti necessarium consilium, vel auxilium, si aliunde haberi non potest.

156. *Excommunicatio minor quid sit.* — Quæritur III. Quid sit? quem effectum habeat? et quando incurrat excommunicatio minor? Resp. I. Quamvis excommunicatio minor olim fuerit varia, adeo ut subinde aliqua privarit sola communionem hominum; alia perceptionem solius Eucharistiæ; alia perceptionem sacramentorum omnium, prout patet ex variis canonibus cau. 11, q. 3, hodie tamen sola postrema viget; indeque bene definitur, quod sit censura ecclesiastica privans solo usu passivo, seu perceptione sacramentorum quorumcunque. Est in re communis et certa, arg. c. *A nobis*, 2, de *Except.* et c. *Si quem*, 59, h. t. et c. *St celebrat.* de *Clerico excommunicato*, ubi de excommunicato excommunicatione minori habetur, quod « non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus. »

157. *Ejus effectus, quod sine peccato mor-*

*tali non possit recipere aliquod sacramentum.* — Hinc patet ad secundam quæsitam partem, videlicet effectum principalem, et directum excommunicationis minoris in hoc solo consistere, quod quis licite nullum recipere possit sacramentum, adeo, ut graviter peccet, si hac excommunicatione innodatus aliquod recipiat, textu claro, c. fin. de *Clerico excomm. minist.* et ibi doctores.

158. *Quare dicatur excommunicatio minor? Non est reservata sed potest in foro interno absolvi a quovis jurisdictionem absolventi a peccatis habente.* — Cæterum dicitur excommunicatio hæc minor, non quod sit in se quid leve, sed respectu majoris: tum quia illa minores habet effectus, quam ista, et hæc non nisi propter peccatum mortale, illa vero subinde etiam ob peccatum veniale incurritur per dicta superius; tum etiam quia excommunicatio minor nunquam est reservata, indeque a proprio excommunicati parrocho, vel alio habente jurisdictionem absolventi eum a peccatis, absolvi in foro interno potest excommunicatus, c. *Nuper*, 29, h. t. In foro externo autem is absolvit, qui ad id jurisdictionem habet.

## § VI.

## DE SUSPENSIONE.

159. *Suspensio quid? — Quæritur I. Quid? et quotuplex sit suspensio?* Resp. I. Suspensio est censura ecclesiastica, qua prohibetur minister Ecclesiæ ab aliquo actu ecclesiastico alias sibi competente. Ita in re communis Doctorum. Ubi ly *Censura* ponitur loco generis, reliqua vero loco differentiæ: quamvis Scotus in 4, dist. 25, q. 1, addat ly, *et hoc ad tempus*, ut sit clarius discernatur suspensio a depositione verbali, quæ privat ministerio actuum ecclesiasticorum in perpetuum, et absque spe restitutionis.

160. *Datur etiam in perpetuum; sed tunc potius est depositio verbalis.* — Nec obstat, quod detur etiam suspensio in perpetuum, juxta Glossam in Clement. *Cupientes*, de *Pœnis*, v. *Suspensi*. et doctores passim. Resp. enim cum Laymano, lib. I, tr. 5, p. 2, cap. v, n. 1, allegante Navarrum, Panormitanum, et alios, suspensio in perpetuum, et sine spe restitutionis si sit totalis, videlicet ab omni officio et beneficio, eam in effectum censendam esse depositionem; nam depositionis poena cum suspensione magnam similitudi-

nem gerit, ac proinde in sacris canonibus hæc duæ poenæ interdum promiscue usurpantur.

161. *Suspensio alia est latæ, alia ferendæ sententiæ.* — Resp. II. Suspensio varie dividitur, ut bene notat Glossa citata, et communis Doctorum. Nam primo alia est latæ sententiæ, quæ scilicet ipso jure infligitur delinquenti: alia ferendæ sententiæ, quæ primum per sententiam judicis ob delictum imponitur.

162. *Alia a beneficio, alia ab officio; alia ab utroque simul: alia partialis, alia totalis.* — Secundo, suspensio alia est ab officio, alia a beneficio; quarum utraque dividitur in totalem et partialem et alia ab officio et beneficio simul. Suspensio ab officio dicitur ea, quia prohibetur executio ordinum, vel aliarum functionum, quæ alias ratione ordinis aut muneris, seu officii ecclesiastici incumbunt. Suspensio a beneficio est, qua fructus sui beneficii clericus administrare et percipere prohibetur. Hæc utraque dicitur totalis, si quis ab omni prorsus officio, vel perceptione omnium fructuum suspenditur. Partialis vero quando unus spiritualis actus ordinis aut muneris ecclesiastici cuiuspiam prohibetur, aut pars tantum aliqua fructuum beneficialium subtrahitur. Layman lib. I, tr. 5, p. 3, cap. 1, n. 2. Pirhing h. t. n. 198.

163. *Soli Clerici proprie suspendi possunt.* — Quæritur II. In quem possit cadere suspensionis? Resp. I. Omnes et soli clerici, præter Papam, possunt incurrere Censuram suspensionis: unde hæc est propria clericorum, et quæ laicis non competit, quamvis excommunicatio, et interdictum sint censuræ clericis et laicis communes. Layman, ubi supra, Palao, tract. 29, disp. 4, pun. 1, n. 1, arg. c. *In Ecclesiæ* 2, de *Insti.*

164. *Superiorissæ Monialium suspendi quidem possunt ab officio suo; tamen hæc non est proprie suspensio.* — Existimat quidem Layman loc. cit. cap. 1, n. 1, post Henriquez, non improbabiler etiam in abbatissam, priorissam, et alias hujusmodi præfectas monialium posse cadere censuram suspensionis ab officio. Verumtamen hæc potius est suspensio ab officio suæ œconomiae ejusque actibus quam ab actibus ecclesiasticis, ratione ordinis clericalis cuiuspiam competentibus, utpote cum ea sit incapax omnis tum ordinis clericalis, tum veræ jurisdictionis ecclesiasticæ.



165. *Non solum personæ particulares, sed etiam integra communitas suspendi possunt.* — Resp. II. Non solum personæ singulares, sed etiam integra communitas clericorum, v. g. capitulum censuram suspensionis incurere potest. Ita Pirhing *de Sentent. excommunicat.* n. 2, 6, cum aliis, id probans ex. c. *Quia sæpe de elect.* in 6, ubi tum totum capituli corpus tum singuli capitulares, qui bona praelati defuncti occuparunt, vel diripuerunt, ab officiis, et beneficiis ecclesiasticis suspenduntur.

166. *Si integra communitas suspenditur per statutum, vel sententiam, non censentur comprehensi episcopi, vel alii superiores praelati.* — Resp. III. Nihilominus generali statuto vel sententia suspensionis, aut interdicti non comprehenduntur episcopi, et alii superiores praelati nisi de ipsis episcopis expresse mentio habeatur. Ita statutum legitur c. *Quia periculosum de Sentent. excommun.* in 6, idque propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut ibid. dicitur, simulque ob prærogativam dignitatis episcopalis.

167. *Suspensio a beneficio, non hoc ipso inducit suspensionem ab officio.* — Quæritur III. An suspensio ab officio includat suspensionem a beneficio, et e contra? Resp. I. Certum est, quod suspensio a beneficio non hoc ipso inducat suspensionem ab officio, ut bene notat Glossa in c. *cum Vintonensis* 25, *de Election. v. Admiserant.*

168. *Nec contra:* — Resp. II. Etiam suspensionem ab officio per se loquendo non includere suspensionem a beneficio. Layman cum communi aliorum. Abbas ibid. n. 6. Ratio est; quia censura suspensionis, tanquam pœna ob delictum proprium inflicta est strictæ interpretationis arg. c. *Odia restringi de Reg. Jur.* in 6, simulque in pœnis benignior est interpretatio facienda juxta Reg. 49, Jur. in 6. Idem patet ex c. *Inter sollicitudines de Purgat. canon.* ibi: « Licet Ecclesiastica Constitutio tales ab officio tantum doceat suspendendos. » Adde c. *A crapula de vita et honestat. cleric.* ubi textus loquitur alternative, ab officio, vel beneficio, et consequenter suspensus ab officio, non per hoc est suspensus a beneficio, alias superflue adderetur secunda, si includeretur sub prima, ut notat Glossa in Clem. *de Pœnis.*

169. *Nec obstat, quod beneficium detur propter officium, c. Relatum. 4, de Cleric.*

*non resident.* consequenter si quis suspensus est ab officio, suspensus etiam sit a beneficio. Respond. enim, quod beneficio semel canonice obtento, non eo ipso quis amittat fructus beneficii, si ad tempus peragere nequeat officium eidem annexum, prout patet in Clerico ægrotante, vel inhabili reddito, c. 1, et c. 3, *de Rectoribus. et Clerico ægrotante.*

170. *Nisi ex culpa suspensio esset perpetua.* — Dixi notanter, per se loquendo. Nam si suspensio ab officio esset perpetua, et in effectu depositio, tunc totaliter suspensus ab officio, saltem per sententiam esset privandus beneficio. Nam cum Beneficium Ecclesiasticum detur propter officium, c. fin. *de Rescript.* in 6, si quis ex propria culpa in perpetuum officio privetur, merito etiam propter annexionem beneficium amittere debet; ita tamen, ut depositus saltem alimenta ab Ecclesia recipiat, ne in opprobrium ordinis clericalis mendicare cogatur.

171. *Nomine suspensionis absolute et simpliciter positæ intelligitur suspensio totalis ab officio et beneficio.* — Illud tamen cum Laymano loc. cit. n. 2. Suar. loc. cit. disp. 23, sect. 2, n. 9. Palao, loc. cit. punct. 1, n. 3, cum communi aliorum notandum, quod si absolute, ac sine limitatione suspensio imponatur, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi possit, an sit a beneficio vel officio, eam censendam esse omnino totalem, et ab utroque. Ratio est; quia propositio indefinita æquipollet universali: simulque tunc non est ratio, cur potius de uno quam de altero lata intelligatur, et ita intelligenda dispositio c. *Cum bonæ 3, de etate, et qualitat.* et c. *Clement. 1, § Quibus, et privileg.*

172. *Suspensio ferri potest non tantum per modum censuræ, sed etiam per modum pœnæ ob præteritam culpam.* — Quæritur IV. An suspensio possit ferri non solum per modum censuræ proprie dictæ, sed etiam per modum pœnæ, atque ob culpam mere præteritam? Resp. Affirmative; prout bene notat Panormitanus in c. *Reprehensibilis, de appellat.* n. 3. Laym. loc. cit. c. 3, n. 3, cum aliis, quos citant.

173. *An et quando prærequiratur monitio prævia?* — Et quidem suspensio si feratur ob contumaciam, seu per modum censuræ proprie dictæ, requiritur ad eam canonica monitio. Quod tamen intellige de suspensione facienda a iudice; secus, si ea a canone jam sit lata, vel imposita, arg. c. *Reprehensibilis*

*de appellat.* et notat ibidem Panormitanus n. 5. Quod si vero feratur suspensio in pœnam delicti, non est opus prævia monitione, arg. c. *Cum litteris de Testib.* ubi Papa sine monitione imposuit pœnam suspensionis, et notat Abbas l. c. Navar. c. 27, *Manual.* n. 159, allegans communem: plura de monitione vide supra § 1, n. 21.

174. *Effectus suspensionis quinam.* — Quæritur V. Quis sit effectus suspensionis? Resp. I. Effectus ipsius est privare suspensum actibus, vel exercitio, seu usu omnis vel alicujus potestatis, seu juris, alias ratione officii sibi competentis, prout patet ex definitione suspensionis supra n. 160, data. Solum hic notandum, quod hæc actuum privatio sit stricte interpretanda, ita ut suspensus specialiter ab uno duntaxat ordine, possit actus alterius ordinis exercere. Suspensus episcopus ab ordinatione, non sit suspensus a consecratione etc. Ratio patet ex dictis n. 167.

175. *Actum suspensione prohibitum exercens, an et quando incurrat irregularitatem?* — Resp. II. Si suspensus ab officio actum suspensione sibi interdictum culpabiliter exercet, contrahit irregularitatem, c. 1, *de Sentent. et re Judicat.* At vero suspensus a beneficio, si ejusdem administrationi se ingerat, et fructus percipiat, non efficitur irregularis; perdit tamen beneficium ipso jure, arg. c. *Cupientes, § Cæterum de elect.* in 6. Pirhing h. t., n. 209. Engel h. t. n. 79.

176. *Actus suspensione prohibiti an. et quinam valeant?* — Cæterum ordines, et alii actus per suspensionem prohibiti, sunt validi excepta electione, c. *Cum dilectus de consuetud.* c. *cum inter 16, de election.* et c. *cum bonæ 8, de etate et qualitat.*, etc. Exceptis actibus jurisdictionis, hinc absolutio sacramentalis, quam absolute suspensus imperatur, invalida est, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet, prout alibi dictum, arg. c. *Infamis 1, cau. 3 q. 8. L. Barbarius 3, ff. de offic. praelat.*

177. *Suspensio ad tempus lata, cessat tempore illo elapso.* — Quæritur VI. Quibus modis tollatur suspensio? Resp. I. Suspensio imposita ad certum tempus, v. g. ad triennium, vel sub conditione, v. g. donec restituat, tempore elapso, vel impleta conditione, per se ipsam cessat absque alia superioris absolutione. Ita Navar. loc. cit. a. 161, citans Glossam in Clement. 1, *de Deci-*

*mis, §. Donec,* cui similis Glossa habetur in c. *Quia sæpe de elect.* in 6, v. *Donec,* estque communis Doctorum.

178. *Lata per modum censuræ tollitur per absolutionem.* — Resp. II. Per absolutionem tollitur ea suspensio, quæ est censura proprie dicta, propter contumaciam inflicta, ea lege tacita vel expressa, ut tunc et non antea absolutio danda sit, quam si a contumacia recedatur. Ita Layman loc. cit. cap. IV, ubi pluribus explicat, quinam, et a quibus suspensionibus possint absolvere; de qua et aliarum censurarum absolutione etiam nos agemus in sequentibus.

179. *Lata per modum pœnæ, tollitur dispensatione.* — Resp. III. Insuper tollitur suspensio per relaxationem sive dispensationem, si ea lata fuit propter peccatum præteritum, ut pura pœna; sive dein ea lata sit in perpetuum, sive ad certum tempus, et istud necdum sit elapsum. Layman, loc. cit. (ADNOTATIO LII.)

## § VII

## DE INTERDICTO.

180. *Interdictum in sensu civili.* — Quæritur I. Quid? et quotuplex sit interdictum? Ante responsionem notandum, non agi hic de interdicto, quantum est de jure civili, quod olim aliud non erat quam formata quædam et solemnitas verborum, quibus prætor aliquid fieri jubebat, vel prohibebat. Differebat autem interdictum ab actione, quia solemnitas actionum erat inducta de jure civili, interdictum autem de jure prætorio. Sic dicitur interdictum, ne quid fiat in loco publico: interdictum, quod vi aut clam: Interdictum uti possidetis: et alia hujusmodi, de quibus Vocabularium, § *Interdictum.*

181. *Et in sensu canonico, quid?* — Sed agitur de interdicto, quantum est de jure canonico, in quo sensu sumitur pro censura ecclesiastica, per quam fidelibus interdicatur, seu prohibetur aliquid ad cultum divinum spectans, videlicet, participatio quorundam Sacramentorum, divinatorum officiorum, et sepulturæ ecclesiasticæ. Siquidem hi tres effectus sunt introducti, de quibus in progressum. Hinc ad quæsitum.

182. *Ejus definitio.* — Resp. I. Interdictum in sensu canonico acceptum communiter definitur, quod sit censura ecclesias-